



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

82. An Clerici, & laici incurrant irregularitatem, si accusent in causa criminali cum protestatione, quando tantum agitur non de damno illato illis, sed eorum consanguineis? Et an accusator excusetur ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Scio plures Doctores quoad resolutionem præsentium dubiorum negativè respondere, sed benigniores sententias, quas *supra* ego adduxi, probabiles etiam esse existimo, quod nemo negare audebit. Ergo, &c.

RESOL. LXXXI.

An Ecclesiastici committentes iudici laico in particulari casum alicuius rei dignum morte si sequatur, incurrant irregularitatem?

Et an hoc procedat, etiam si in communi Ecclesiastici iurisdictionem temporalem habentes dicant iudici, cui causas committunt, ut contra malefactores invigilet.
Ex p.4. tr.2. Resol. 78.

^{Sup. hoc inf. in ref. 89. §. Notandum est, & in to. 3. r. 5. ex doctrina ref. 7 §. 1. post mediū.}
Affirmativè respondet Henriquez lib. 14. cap. 3. num. 6. qui adducit ad hanc firmandam sententiam Navarrum lib. 5. consil. de homicidio. Sed Navarrus ibi tantum loquitur de Prælati qui præcipit iudici, ut manè exequatur sententiam mortis, quam ipse iudex tulerat, in quo casu revera irregularis esset, sicut si præciperet iudici ut hunc furem, vel homicidam suspendat, ex textu in cap. his à quibus 23. quæst. 8. ibi aut inferendas præcipiant.

2. Vnde in casu proposito puto Prælatus non incurrit irregularitatem, & hanc sententiam ex Suarez firmat Petrus Cornejo in 3. part. D. Thom. tract. 5. de irregular. disp. 11. dub. 1. q. 1. ubi sic asserit. Ex textu in cap. ult. ne Clerici vel Monachi in 6. dicendum est Ecclesiasticos temporalem iurisdictionem habentes posse sine irregularitate causas sanguinis aliis delegare, quod procedit etiam si in communi dicant iudici cui causas committunt, ut contra malefactores invigilet, imò etiam si committant ei in particulari casum dignum morte, ut colligitur ex eodem textu. Ita ille. Et novissimè Gaspar Hurtado de irregular. disp. 2. difficult. 11. num. 42.

RESOL. LXXXII.

An Clerici, & laici incurrant irregularitatem, si accusent in causa criminali cum protestatione, quando tantum agitur non de damno dato illis, sed eorum consanguineis?

Et an accusator excusetur ab irregularitate, quando accusat ob lesionem factam in propria persona, aut in propriis bonis, vel ob lesionem factam eis, qui sunt ipsi commissi, si ante sententiam protestetur se non accusare ad vindictam?

Idem dicendum est de accusante eum, qui dedit damnum Ecclesie, vel suis subditis.

Et an quando accusator accusat ad evitandum grave damnum innocentis, vel reipublicæ, quando aliter impedire tale damnum non possit, sit necessaria protestatio? Ex p.4. tr.2. Resol. 33.

Irregularitatem incurrit docet Petrus Cornejo in 3. part. D. Thom. tract. 5. de irregular. disp. 1. dub. 1. quæst. 6. num. 4. Vgolinus de irregul. cap. 6. §. 8. num. 4. & Bonacina de censur. disp. 8. quæst. 4. punct. 1. num. 4. ubi citat plures Doctores pro hac sententia minime hoc asserentes. Ratio verò hujus sententiæ est, quia in cap. penult. de homicidio in 6. permittitur Clericis & laicis in consequentia conqueri coram iudice de malefactoribus suis, non autem alienis ergo, &c.

2. Sed tu contrariam sententiam tene, quam tenetur Hurtado disp. 2. de irregul. diff. 11. n. 41. Coninch

disp. 18. dub. 10. num. 93. Villalobos tom. 1. tract. 1. diff. 2. 6. n. 6. & 7. Avila part. 7. disp. 5. sect. 2. dub. 11. Præpos. in 3. part. quæst. 5. de irregul. dub. 13. num. 101. & alij penes ipsos. Dico igitur quod accusator excusatur ab irregularitate quando accusat ob lesionem factam in propria persona, aut in propriis bonis, si ante sententiam protestetur se non accusare ad vindictam; & idem est quando accusat ob lesionem factam eis, qui sunt ipsi commissi, aut ei sunt ita propinqui, ut eorum injuria ad ipsum pertinet censeatur, quales sunt parentes, filij, fratres, &c. Idem cum Præpos. loc. cit. dicendum est de accusante eum, qui dedit damnum Ecclesie, suis subditis, & quando accusator accusat ad evitandum grave damnum innocentis, vel Reipublicæ, quando aliter impedire tale damnum non possit, & in isto ultimo casu ex Molina, Avila loc. cit. putat non esse necessariam protestationem, quod etiam tenet Præpos. loc. cit. n. 102.

RESOL. LXXXIII.

An protestatio liberet ab irregularitate, si fito animo efficiatur, & sequatur mors?

Et an laici, facta dicta protestatione, incurrant irregularitatem, si non fiat simul cum ipsa accusatio, sed postea coram iudice ante prolationem sententiæ, & non solum quando accusat, sed etiam quando Reum retinet & iudici tradit?

Et an Clericus consilens alteri, ut accuset in causa permissio cum protestatione, incurrat irregularitatem? Ex p.4. tr.2. Resol. 75.

Hic casus potest frequenter accideret, & negativam sententiam tenet Vega en espejo de curas, tom. 2. c. 12. §. in 6. n. 270. Tolcius lib. 1. cap. 82. num. 5. Navarrus cap. 27. n. 226. Sylvester, verb. homicidium 2. quæst. 8. & Ioan. B. p. 18. Bizozerus in summa tract. de censur. cap. 5. n. 5. sic habet. Ille qui coram iudice, vel alio Reum accusat sine protestatione, se id non facere ut Reus ad mortem, seu mutilationem damnetur, sed ut suum habeat, vel ut publica scandala tollantur, sit irregularis; secus si accusat cum tali protestatione, quæ protestatio potest fieri ore, vel in scriptis, & protestatio talis ut evitet irregularitatem, non tantum verbo, sed verè & animo fieri debet, nam si verbo faceret talem protestationem, & cuperet animo, vel sibi placeret, ut talis suspenderetur, vel mutilaretur, non evitaret irregularitatem, & ita omnes DD Sic Bizozerus.

2. Sed fallitur, nam hoc minime asserunt omnes Doctores, dempto Navarro & aliis ibi supra, & ideo affirmativam sententiam docet Petrus Cornejo in 3. part. D. Thom. tr. 5. de irregular. disp. 11. dub. 1. quæst. 6. Turrianus de censur. lib. 9. disp. 66. dub. 2. Hurtado disp. 2. de irregularitate. Præpos. in 3. part. quæst. 5. de irregularitate, dub. 12. num. 103. Suarez de censur. disp. 47. sect. 2. num. 3. Henriquez lib. 14. cap. 11. in fine. Coninch de Sacrament. disp. 18. dub. 10. num. 93. Avila de censur. part. 7. disp. 5. sect. 2. dub. 9. concl. 1. & alij penes ipsos Ratio est, quia cap. Prælatus, de homicidio in 6. solum requirit protestationem externam, quæ deficiente etiam si non esset peccatum, aut voluntas homicidij, incurritur. Deinde protestatio facta tantum valet apud iudicem ignarum fictionis, quantum valet si ex animo, & non fictè fieret. Ergo, &c. Deinde Ecclesia non imponit irregularitatem ob intentionem & actum internum, sed ex omissione protestationis.

3. Notandum est tamen hic obiter quod etiam laici facta dicta protestatione non incurunt irregularitatem.